IOANNES PAVLVS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam

Innumera fere sunt templa a populo Christiano toto terrarum orbe per labentem saeculorum cursum ad praecelsae Dei Genitricis honorem dicata. Inter quae Nos potissimum iuvat hodie singulari cogitatione memorare templum vulgo "Maria Santissima del Pettoruto" appellatum, in Ecclesiae S. Marci Argentanensis finibus positum, quod arte museisque operibus decorum ac sollemnibus sacris insigne, plurimi Christifideles regionis Calabriae frequentant, ut a tam benignissima Matre salutare sive animi sive corporis postulent adiumentum. Omnibus insuper sanctuarium istud visitantibus Decessores Nostri Callistus III et Pius X particulares indulgentias sunt largiti atque sacrum eiusdem Beatissimae Virginis simulacrum, ibi magna in veneratione habitum, anno millesimonongentesimo tertio, de Petriani Canonicorum Collegii sententia, praestanti est diademate redimitum. Quam ob rem, quoniam Venerabilis Frater Aeneas Selis, Archiepiscopus Consentinus atque olim Administrator Apostolicus S. Marci et Bisinianensis, suo suique cleri ac populi nomine, ab hac Sede Apostolica petiit ut templum, quod diximus, Basilicae Minoris dignitate honestaretur, Nos, eius preces cupientes exaudire Pastoris, iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino censuerit, harum Litterarum vi ac perpetuum in modum, Apostolica Nostra potestate templum Nativitati Beatae Mariae Virginis dicatum atque vulgari sermone "Maria Santissima del Pettoruto" nuncupatum, in pago vulgo S. Sosti dioecesis S. Marci Argentanensis exstans, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem evehimus, omnibus datis iuribus et privilegiis liturgicis, quae templis hoc nomine insignibus competunt; servatis tamen iis quae iuxta decretum "De titulo Basilicae Minoris", die sexto mensis Iunii, anno millesimonongentesimo sexagesimo octavo datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur ac sive nunc sive in posterum suos effectus habeant. Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo septimo mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

Caesarius Card. Sapienzi
a Publicis Eccl. Negotiis

Pergamena dell'erezione a Basilica del Santuario del Pettoruto

Giovanni Paolo II, Papa, 17 agosto 1979 *(Vedi testo in italiano a p. 65)*